


IL  
**LICEO-GINNASIALE**

**TORQUATO TASSO**

NELL' ANNO SCOLASTICO 1874-75



**GRONAGA ANNUARIA**










IL  
LICEO - GINNASIALE

TORQUATO TASSO

NELL' ANNO SCOLASTICO 1874-75

---

CRONACA ANNUARIA



SALERNO  
PREMIATO STABILIMENTO TIP. MIGLIACCIO  
1875







# SOMMARIO

---

	Pag.
N.° I. — De Satirae Romanae ratione et natura disseruit <b>Alphonsus</b> <b>Linguitius</b> . . . . .	» 5
N.° II. — Corpo insegnante . . . . .	» 39
N.° III. — Orarj settimanali e giornalieri — Liceo — Ginnasio . . . . .	» 46
N.° IV.-V. — Libri di testo e parti trattate in ciascuna classe — Compo- nimenti	
Liceo — Lettere latine e greche . . . . .	» 48
« Letteratura italiana . . . . .	» 53
« Filosofia . . . . .	» 59
« Storia . . . . .	» 60
Ginnasio — Classe I. classe II. classe III. . . . .	» ib.
« Classe IV. . . . .	» 61
« Classe V. . . . .	» 62
N.° VI. — Temi per le prove scritte negli esami di licenza.	
Liceo — Sessione di Luglio . . . . .	» 64
« Sessione di Ottobre . . . . .	» 65
Ginnasio — Sessione di Luglio . . . . .	» 67
« Sessione di Ottobre . . . . .	» 68
N.° VII. — Esercitazioni ginnastiche e militari . . . . .	» 69
N.° VIII. — Suppellettile scientifica . . . . .	» ib.
Gabinetto di Fisica . . . . .	» ib.
Macchine donate dal Ministero della Pubblica Istruzione . . . . .	» 70
Gabinetto di Storia Naturale . . . . .	» 71
Biblioteca . . . . .	» ib.
Elenco dei licenziati . . . . .	» 72
N.° IX. — Modificazioni ai programmi prescritti col R. Decreto 40 Ot- tobre 1867 . . . . .	» 73
N.° X. — Apertura delle scuole — Ammissioni — ecc . . . . .	» 74
N.° XI. — Lezioni — Esami . . . . .	» 75
N.° XII. — Restauri del Fabbricato . . . . .	» 76
N.° XIII. — Statistica degli alunni . . . . .	» ib.
N.° XIV. — Statistica degli esami . . . . .	» ib.
N.° XV. — Elenco degli alunni giudicati degni di premio nell'anno 1874-75 . . . . .	» 77







## I.

DE SATIRAE ROMANAE RATIONE ET NATURA  
 DISSERUIT  
 ALPHONSUS LINGUITTUS

---

*Rudis et Graecis intacti carminis*  
 auctor. — HORAT. Sat. 1, 10, 66  
*Satira quidem tota nostra*  
 est. — QUINT. Inst. Orat. lib. 10, 1, 93  
*Satira est carmen apud Romanos, non*  
 apud Graecos maledicum. — DIO-  
 MED. III. 482

« C. Lucilii Suessani Auruncani, Satyrographorum principis, satirarum reliquias FRANCISCUS DOUSA collegit, disposuit ac notas addidit, Patavii, MDCCXXXIV. — Auli Persii Flacci satyrae VI cum posthumis commentariis JOAN. BOND, Amstelodami MDCCCLV. — Ennianae poësis reliquias recensuit JOANN. VAHLEN, Lipsiae, formis Teubneri MDCCCLIV. — M. Terentii Varronis Saturarum Menippearum reliquiae, Ed. FR. OEHLER, Quedlenburgi et Lipsiae, 1844. — JOANNIS VALHENI, In M. Terentii Varronis Saturarum Menippearum reliquias conjectanea, Lipsiae, 1858. — C. Lucilii Saturarum reliquias emendavit et adnotavit LUCIANUS MUELLER, Lipsiae, in aedibus B. G. Teubneri, MDCCCLXXII. — Satires de C. Lucilius, Fragments revus, augmentés, traduits et annotés par E. F. CORPET, Paris, 1845. — Nouvelles Recherches hitsoriques et critiques sur Pétrone, suivies d'études littéraires et bibliographiques sur le Satyri con par S. E. PÉTREQUIN, Paris, 1869. — Petronii Arbitri Satirarum Reliquiae ex recensione FRANCISCI BUECHELERI, Berolini, apud Weidmannos, MDCCCLXXII. — De Timone Phliasio ceterisque sillographis graecis disputavit et sillographorum reliquias collectas, dispositas, recognitas adjecit CURTIUS WACHSMUTH, Lipsiae, formis B. G. Teubneri.

Hos de satiricis scriptoribus commentarios consului, qui recensione castigatissima praesidiisque omnibus instructi, critico acumine, lectionum varietate, animadversionum delectu, locupletissimis indicibus rerum et verborum, se praecipue commendant.

Ad alia etiam opera adivi, in quibus de satira romana agitur. ISAAC. CASAUBONI *De Satyrica Graecorum poësi et Romanorum satira libri duo*, Parisiis, MDCV. — JOANN. ANTONII VULPII *liber de satyrae latinae natura et ratione*, Patavii, MDCCXLIV. — *Studia critica in C. Lucilium contulit* J. A. C. VAN HEUSDE, Traiecti ad Rhenum, MDCCCXLII. — GODOFREDI STALLBAUM, *De vita et scriptis Q. Horatii Flacci*, Lipsiae MDCCCLIV. — *Origines poësis romanae scripsit* D. W. CORSENN, Berolini, Gust. Bethge, MDCCCXLVI. — *Étude sur la vie et les ouvrages de M. T. Varron*, par GASTON BOISSIER, Paris, librairie de L. Hachette, 1861. — *Études sur la poësie latine*, par M. PATIN, Paris, Hachette, 1869. — *Les moralistes sous l'empire romain, philosophes et poëtes* par CONSTANT MARTHA, Paris, Hachette, 1872. — *Letteratura Romana di C. TAMAGNI*, Milano, 1871. — *Storia Romana di TEODORO MOMMSEN*, Trad. del Sandrini, Milano, 1867. — *Études de moeurs et de critique sur les poëtes latins de la décadence* par D. NISARD, Paris, 1867. — TEUFFEL, *Storia della letteratura Romana*, 1872. — *Historia critica Litterarum Latinarum THOMAE VALLAURI*, Augustae Taurinorum, 1852 ».







---

## SUMMARIUM

I. *Apud Romanos scriptores, ne iis quidem exceptis, qui omnia a Graecis mutuati sunt, ea passim occurrunt, quae frustra apud Graecos quaeras, quaeque novae poëseos auram quamdam afflare videntur.* — II. *In satira autem nihil omnino est, quod ingenium romanum non referat, ac publicae privataeque civium vitae effigiem non exhibeat.* — III. *Satira est apud Romanos nativa, et varium pro temporum ratione vultum induisse videtur.* — IV. *Utrum vero satira sit genus totum Romanorum et Graecis intactum, perdifficilis quaestio est, quae doctissimorum hominum ingenia diu exagitavit; atque alii in aliam sententiam abierunt. Nonnulli satiram romanam, ut cetera, graeco fonte deductam esse contendunt, et quoniam Romani gloriati sunt, se nihil in hujusmodi poëseos genere debere Graecis, hanc illis veniam concedendam putant, magnifice admodum de se ac de suo ingenio sentientibus.* — V. *Alii, Romanos satirarum scriptores haud novo ignotoque Graecis genere latinas litteras ditasse, sed res novas omnino et Graecis antea intactas protulisse.* — VI. *Alii, Quintiliani verba: Satira quidem tota nostra est, ita censent esse intelligenda, quasi Romani satirici nihil prorsus a Graecis ejusdem generis scriptoribus accepissent.* — VII. *Patinius (Études sur la poësie latine) Romanos existimat huic generi apud Graecos celebratissimo non nisi novam continuati sermonis versu hexametro formam indidisse.* — VIII. *Alii denique tenent, Romanos nihil novi, praeter carminum et argumentorum varietatem, in satiram invexisse.* — IX. *His omnibus sententiis explosis, satirae ratio et natura Horatii verbis definitur.* — X. *Satira romana quiddam est ex didactico, maledico et saepe etiam lyrico et oratorio genere conflatum et permixtum.* — XI. *Satiricus poëta apud Romanos cum Lucretiano sapiente comparatur.* — XII. *In satira romana expressum Romanorum ingenium conspicitur, qui, sagaces et emunctae naris homines, ad ridendum ac docendum natura ipsa comparati fuisse videntur.* — XIII. *Duo illa poëseos genera, didacticum nempe et maledicum, apud Graecos maxime floruerunt; verum apud Romanos primum in unum carmen, cui saturae nomen inditum, coaluerunt.* — XIV. *Romanae satirae ratio clarius elucet poëtarum exemplis, qui tum vitiorum insectatione, tum virtutis laude, praesertim vero nobilissimis sapientiae documentis homines ad frugem corrigere studuerunt. Ennius, satirae auctor.* — XV. *Lucilius, satirae inventor.* — XVI. *Varro.* — XVII. *Horatius.* — XVIII. *Persius.* — XXI. *Juvenalis.* — XX. *Petronius.* — XXI. *His propositis exemplis, in proclivi est intelligere, quam longe distet satira ab iis omnibus Graecorum poëmatibus, quae aliquam cum illa similitudinem praeseferunt. Atque in primis satira a dramate satyrico magnopere differt.* — XXII. *Nec aliquid habet cum Magodia cognationis.* — XXIII. *Eorum opinio refellitur, qui satiram romanam putant nihil differre a Graecorum sillis. De praecipuis sillographis disseritur.* — XXIV. *De Cynicis etiam sermo habetur, qui ad sillographorum rationem proxime accedunt.* — XXV. *Frustra nonnulli, ad Romanorum laudem imminuendam, jambos Graecorum et comoediam priscam memorant, quasi latinae satirae fontes et principia.* — XXVI. *Neque minus a veritate ii aberrare videntur, qui satiram, quasi rivulum quemdam, satira scenica deductam fuisse autumant.* — XXVII. *Satirae veriloquium.* — XXVIII. *Conclusio.*



I. Quum, graecis exemplaribus diu pervolutatis, ad Romanos poëtas animum appellimus, haud procul a Graecia peregrinari videmur; omnia enim ad graecam pulchritudinem efficta nobis ob oculos obversantur: ubique Graecorum vestigia sunt perspicua, et ipsa graeca verba sub latinis vocibus quodammodo pellucunt. Passim tamen ea occurrunt, quae nusquam apud Graecos offendimus, quaeque novam quamdam auram afflare videntur. Tum romanae poësi suum esse vultum, et latinos poëtas, quibus diversae temporum conditiones aliam indiderunt mentem, quique inter Graecos et recentiores scriptores medii exstiterent, ad altiora se extulisse intelligemus. Id quidem praesagium et, paene dixerim, crepusculum fuit novae poëseos; quae, etsi nativo candore et inaffectedata venustate infra Graecorum laudem subsistat; mirum tamen ingeniorum ascensum prodit, quippe quae humani animi abstrusas latebras et recessus detegit, et novis coloribus effingit (1).

II. Sed, quum satiricos legimus, Graeciae prorsus obliti, intra pomoerium cogitatione versamur, in ea tempora delati, quum antiqui moris oblivio animos ceperat; et modo in foro homines spectamus, huic uni studio intentos, ut pugnent dolose, caute dent verba, blanditiis certent, bonos se viros simulent insidiasque faciant; modo comitiis adsumus, ubi populi favor largitionibus captatur; modo spectaculis et conviviis intersumus, quibus lauta patrimonia dissipantur; modo intra domesticos parietes ad umbratiles et arcanas consuetudines admissi risum vix tenemus.

Permulti eruditi homines, in remotissimis gentibus nati, longinqua itinera suscipiunt, ingentes sumptus faciunt, multis se obiectant periculis, ut Romam videant, rati se penitus historiam romanam intellecturos, si ipsum urbis situm, ipsa moenia,

(1) Haud abs re erit heic paucis expedire, quid discriminis inter graecam et romanam poësim intercedat. Graeca, nativa simplicitate et candore, qui est proprius puerilis aetatis; romana, gravitate illa, quae senectutem decet, commendatur. Graeca mentis impetum et afflatum prodit; romana magis meditata ex sedatiore animo profluxisse videtur. Quare scite admodum Horatius od. II. lib. IV Pindarum cycno, quem multa aura levat, se autem api Matinae comparat, quae thyma carpit et per laborem plurimum mella conficit. Graecae poësi iuvenilis quaedam hilaritas, romanae moestitia illa comitari solet, quam rerum experientia et infortunia perlata inducere consueverunt. Graeca fuit popularis; romana consulum et imperatorum maiestatem refert, quippe cuius subiecta materia erat Roma, *rerum pulcherrima*. Graeca poësis, Graecorum ingenium, mores et praesertim religionem referens, cuius rationem in pulchri cultu constitisse in confesso est, non tam sublimitate, quam pulchritudine gaudet: Romana autem non raro ad sublimiora effertur, et grandiozem quamdam induit rationem. Illa quidem, omnia quae in rerum natura sunt, ita graphice adumbrat, ut nihil aptius, nihil ad veritatem expressius excogitare queas; haec vero, animi etiam arcana saepe detegit et depingit, adeo ut *προδρυσος* recentioris poëseos jure meritoque dicenda esse videatur.

Romani, quamvis in Graecis defixi, sui tamen imaginem in operibus insculpserunt. Nonnulli quidem Vergilium non nisi Homerum imminutum fuisse perperam contendunt. Procul dubio multa Vergilius ab Homero in rem suam derivavit; sed quis inficias ibit Mantuanum poëtam semper suis coloribus usum esse? Quare rectius eum cum nube comparabimus, quae lucem a sole mutuatur, sed eam pulchriorem effundit et iridis coloribus ornatam. Alii Homerum soli, Vergilium lunae assimilant. Perbelle; nihil enim aptius hac similitudine inveniri potest ad suavissimam illam moestitiam significandam, quam Vergilius in homericæ simplicitatis locum sufficit.

Videsis quae de hac re *Cajetanus Trezza*, acerrimi iudicii vir, disserit in ephemeridibus quae inscribuntur: *Rivista Contemporanea*, Ann. XVII, Tom. LVI. 1869



ipsas veterum arcuum, tropaeorum et templorum, quamvis laceras et disjectas, reliquias suis oculis usurpaverint. At vivam spirantemque Romae imaginem, magis quam monumenta et rudera, satiricorum opera exhibent. Satirici enim scriptores nihil nisi vernaculum et romanum vividis coloribus depingunt, et publicae privataeque civium vitae effigiem exhibent. At, quod nunc magis refert, satira poëtica romanorum ingenii fidem facit. Recentiores critici, Romanos rei militari et negotiis intentos et potius boni quam pulchri studiosos divino illo spiritu quo poetae afflantur, prorsus destitutos fuisse contendunt. Adversus sane eorum sententiam, si aliud nobis non suppeteret argumentum, si nihil omnino valeret vetustissima illa monumenta, in quibus Romani arte rudes, antequam Graecorum imitationem invexisset Livius Andronicus, omnia e penu suo exprompserunt, nempe hymni saliares, carmen fratrum Arvalium, versus fescennini et carmina quae in illustrium virorum honorem in epulis canebantur; unam satiram satis esse arbitraremur. Profecto ingenium poëticum non defecit Romanos; quod quidem incultu torpescere visum est, quamdiu ipsi continuis bellis iactati fuerunt; at post punica bella, propositis graecis exemplaribus, excitatum novas sumpsit vires, et praesertim in satira emicuit. Quod si in ceteris poëseos generibus omnia fere a Graecis mutuati sunt, atque illa libertate caruerunt, sine qua nemo quidpiam magnum in litteris consequi posse confidat; id ex eo factum esse liquet, quod formas selegerint, quae neque eorum ingeniis, neque temporum conditionibus congruerent. Qui enim litterarum genera rerum adiunctis et temporum rationibus minime accomodata pervicacius sectantur, cum a sua aetate afflatum accipere nequeant; necessario fit, ut ad aliorum imitationem se componant. At quum Romani ad genera aetati et ingenio romano aequa se contulerunt; vestigia Graecorum deserere ausi sunt, et romuleam, paene dicam, vim ostenderunt. Id eis praesertim in satira contigit, quae temporum conditionibus et romano ingenio apprime respondebat.

III. Quare hoc poëseos genus, utpote nativum et nihil adscitum redolens, non unam semper rationem servavit, sed pro temporum varietate alium atque alium vultum induit, et cujusque aetatis notam retulit; is enim est operum quae sponte enascuntur, proprius character. Et re quidem vera, ineunte saeculo septimo, quum antiquas virtutes corrupti mores ex Graecia et Asia invecti excepissent, Lucilius improbos homines, qualescumque fuerint, acriter et nominalim multa libertate notavit. Deinde, occidente republica, M. Terentius Varro cum scito risu conjungens sapientiae praecepta, et philosophicas disputationes mordacibus dictis conspergens, iustitiam et sanctitatem qua prisci Romani floruerunt, excitare, et virtutem in consopitis veterno pectoribus revocare conatus est. Postquam vero imperium sub unius dominatu quievit, et, immutato civitatis statu, nondum servitus omnia corruperat; Horatius a natura hilaris et facetus, urbano risu et socratica quadam ironia vitia vellicare aggressus est. Demum Persius et Iuvenalis, quum in eam aetatem incidissent, qua nihil erat cur riderent, generosa bile exardescentes, salibus ablegatis, vitia acerbius insectati sunt. Satira igitur adeo nativa et Romanorum propria fuit, ut qui in ceteris poëseos generibus Graecorum ingeniis de praestantia concederent, in hoc uno et summi et plane sui exstiterint.

IV. Utrum vero huiusmodi poëseos genus primum invexerint, an a Graecis peti- tum sibi proprium fecerint, non convenit inter omnes. Excellentis enim ingenii et doctrinae viri diu multumque hac de re disputantes, in diversam penitus sententiam abierunt.



Nonnulli satiram romanam, ut cetera, graeco fonte deductam esse contendunt, et, quoniam Romani gloriati sunt, se nihil in hujusmodi poëseos genere debere Graecis, hanc ipsis veniam concedendam putant, magnifice admodum de se ac de suo ingenio sentientibus. Sed nemo est tam hospes ac rudis in litteris latinis, qui nesciat Romanos ab hujusmodi iactantia omnino alienos fuisse, cum se omnia Graecis accepta referre palam professi sint. Non pauca sunt, quae id aperte innuere videntur. Pro ceteris satis sint, illa Porcii Licini verba in Aul. Gell. (*Noct. Att. Lib. XVII, 21, Lugduni, MDLV.*)

*Poenico bello secundo Musa pinnato gradu  
Intulit se bellicosam in Romuli gentem feram ;*

et ille Horatii locus (*Epist. I, II.*), ubi Romanos, in re bellica victores, politiorum artium studiis longe a Graecis vinci fatetur :

*Graecia capta ferum victorem cepit, et artes  
Intulit agresti Latio . . . . .  
Serus enim Graecis admovit acumina chartis,  
Et post punica bella quietus quaerere coepit,  
Quid Sophocles et Thespis et Aeschylus utile ferrent.*

Imo Romanorum non pauci eo devenere, ut se iactarent Graecos imitatos. Horatius quidem (*Epist. XIX, lib. 1. 156-63*) gloriatur, quod prior graecos numeros Latio ostenderit, et Propertius (*Eleg. I. lib. III.*) se praedicat romanum Callimachum. Illud etiam Romani sibi persuasisse videntur, se suis viribus et suo Marte nunquam suam asperitatem fuisse exuturos; et, si oraculum, quum primum ad mansuetiores artes se contulerunt, hac de re consulissent; idem sane responsum relatores, quod olim Aeneas retulit (*Verg., Aen. VI. 96*):

*Via prima salutis,  
Quod minime reris, graia pandetur ab urbe.*

Cujus rei causam inquiringentibus illud sane occurrit, Romanos, quippe qui civili sapientia omnibus praestare, et universi orbis victores triumphatis gentibus leges imponere contenti erant, non puduisse Graecis in litteris atque artibus concedere, uti ex his Vergilii versibus patet:

*Excudent alii spirantia mollius aera,  
(Cedo equidem), vivos ducent de marmore vultus,  
Orabunt causas melius, coelique meatus  
Describent radio, et surgentia sidera dicent ;  
Tu regere imperio populos, Romane, memento,  
(Hae tibi erunt artes) pacisque imponere mores,  
Parcere subiectis, et debellare superbos.*

(*Aen. VI. 848-854*)

Itaque, si Romani satirae inventionis gloriam sibi vindicant, non haec inanis iactantia, sed superbia meritis quaesita habenda est.

V. Sunt vero, qui opinentur, Romanos satirarum scriptores haud novo ignotoque Graecis genere latinas litteras ditasse, sed res novas omnino et Graecis antea intactas protulisse. Neque res aliter se habere poterat, ipsi ajunt; satira enim et comoedia nihil



ab oculis et memoria hominum remotum quaerunt, sed recentia urbanitatis vitia et incommoda perstringunt, atque humanae vitae consuetudinisque effigiem peculiari aetati propriam sibi exprimendam assumunt. In hanc sane sententiam discessit Labittius (*Études littéraires par C. Labitte*, Paris, 1846) qui Romanos censet, satyricum genus et scribendi rationem a Graecia mutuatos, aequalium mores et vitia exhibuisse quae eis ob oculos obversarentur. Verum huiusmodi opinio vel iis qui latinas litteras primoribus tantummodo labiis attigerint, haud probari posse videtur. Hi enim abunde norunt, non modo in satira, sed in aliis etiam litterarum generibus Romanos scriptores ausos fuisse *deserere vestigia graeca et celebrare domestica facta*. Nonne Ennius, romanae poëseos parens, in Annalium libris, quos carmine heroico panxit, romanam historiam ab antiquissimis temporibus persecutus est? Nonne Naevius immemorata a Graecis cecinit in historico illo poëmate de primo bello punico, in quo stipendia fecerat? Quid Accius, quid Pacuvius a Graecis haurire aut mutuari poterant in fabulis praetextatis, in quibus Brutum et Paulum Aemilium viros romanos exhibuerunt? Atque, ut fabulas togatas silentio praeteream, palliatae ipsae comoediae mores romanos referebant. Ac toto coelo mihi errare videntur, qui Plautum, in Graecis defixum, neque Romanorum mores imitatum, neque suae aetatis effigiem insculpsisse putant. Siquidem graeci sunt ejus fabularum tituli, graeca sunt exemplaria ad quae respexit, graeca personarum nomina quas loquentes agentesque inducit; sed romani sunt mores quos imitatur, romana sunt vitia, quae castigat atque insectatur. Quare in romanos spectatores, qui, cum ejus fabulae praesentarentur, ridebant, apte quadrare videntur illa Horatii verba:

*Quid rides, mutato nomine, de te  
Fabula narratur.* . . . . .  
(*Sat. I. lib. I. v. 69-70*)

Et Horatius, quum in patriis argumentis versatur, veluti cum Tiberium et Drusum laudat ob victorias de hostibus relatas, vel cum in civiles discordias aut in sui saeculi luxum invehitur, iis coloribus utitur, qui a nemine Graecorum sumi potuerint. Quin imo omni adseveratione affirmo, scriptores romanos, si eos excipias qui *μύθους* et heroicas Graecorum traditiones retractarunt, universos ab Urbe Roma suorum operum argumenta et sententiarum altitudinem desumpsisse. Romam historici populique romani res domi forisque gestas persecuti sunt; Romam ejusque originem et praeclara facinora epici cecinerunt; Romam ac civium jura et libertatem oratores tuiti sunt; Romam eiusque gloriam et religionem celebrarunt lyrici; Romam et civitatis vitia dramatici in togatis et saepe etiam in palliatis fabulis jocis perstrinxerunt. Romani igitur, non minus quam in satira, indicta Graecis protulerunt in epica, lyrica et dramatica poësi atque in aliis litterarum formis; nec tamen aliud, nisi satyricum genus, invenisse gloriati sunt.

VI. Alii Quintiliani verba: *Satira quidem tota nostra est*, ita censent esse intelligenda, quasi Romani satyrici Graecos ejusdem generis scriptores haud sibi ad imitandum proposuerint; et cum caeteri omnes et versus et orationem ad graecam pulchritudinem prorsus effingerent, ipsi contra, nulli Graecorum disciplinae addicti, nullius vestigiis insistentes, vultum ubique suum servaverint. Quod adeo iucundum, ipsi ajunt, adeo mirum Romanis, nimiae imitationis pertaesis, visum est, ut superbia elati: *Sa-*



*tira tota nostra est*, exclamarent. In hujusmodi sententiam abeunt, Laharpus (*Cours de Littérature ancienne et moderne*, Tome 1<sup>er</sup>, 157, Paris, Firmin Didot Frères, MDCCCL.) et A. Vannucius (V. opus, cui titulus: *Studi storici e morali sulla letteratura latina*, Firenze, Le Monnier, 1862). Quorum alter Romanos autumat nihil in satira, neque metricam rationem, neque argumenta, a Graecis hausisse (1). Alter vero aliquid de laude, quam sibi tribuerunt Romani, detrahendum esse putat, cum ipsi nulla poëseos nova forma litteras locupletarint, sed in genere iam apud Graecos exulto et celebrato propriis coloribus usi fuerint. *Latini critici* (haec est praestantissimi scriptoris sententia) *satiram totam esse Romanorum autumabant; hujusmodi tamen iactantia non ita intelligenda est, ut Graeci numquam versibus vitia momordisse credantur. Quod quidem ita se habere satis ostendunt, ut priscae comoediae scriptores praetermittam, Archilochi, Bionis, Menippi et Luciani scripta. Quocirca, quae de romana satira Horatius, Quintilianus aliique affirmant, hoc sensu accipienda sunt, Romanos nempe in satira liberius per vacuum vestigia posuisse, quam in ceteris litterarum generibus.* Sed adversus hujusmodi sententiam stant rei veritas et veterum testimonia. Lucilius, *satirae inventor*, graecae spiritum camoenae suis satiris inhavit, quandoquidem Eupolim, Cratinum, Aristophanem in notandis hominum vitiis ita secutus est, ut, mutatis tantum pedibus numerisque, nihil plane ab eis discederet. Equidem, veteris comoediae more, singulos homines vel morum turpitudine vel ingenii perversitate insignes, tanta oris libertate corripuit, ut ne primoribus quidem civitatis parceret; quin etiam populum tributim multo sale perfricuit; qua de re proderit Horatium audire:

*Eupolis, atque Cratinus, Aristophanesque poëtae,  
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,  
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,  
Quod moechus foret aut sicarius, aut alioqui  
Famosus, multa cum libertate notabant.  
Hinc omnis pendet Lucilius, hosce secutus,  
Mutatis tantum pedibus numerisque...*

( Lib. 1. Sat. IV. 1-7 )

Terentius Varro, apud Ciceronem, se in suis satiris Menippum philosophum stoicum imitatum, non interpretatum esse fatetur. « *In illis veteribus, ipse ait, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam amoenitate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dialectice dicta* » ( Lib. 1. *Academicarum Quaestionum* ). Porro, quemadmodum priscam comoediam, suis temporibus se accommodans Lucilius, ita novam Horatius, Iuvenalis, et Persius sunt aemulati. Quae cum ita sint, mirum non erit, quod a quarto inde saeculo nonnulli grammatici passim Lucilium referant inter comoediarum scriptores, uti recte animadvertit Lucianus Muellerus (*C. Lucilii Saturarum Reliquias emendavit et adnotavit LUCIANUS MUELLERUS* etc.

(1) En Laharpus verba: ( op. cit. ) *Quintilien dit, en propres termes, que la satire appartient tout entiere aux Romains: Satira quidem tota nostra est. Sans doute il veut dire seulement qu'en ce genre ils n'ont rien emprunté des Grecs.* Et paucis interjectis: *Le satiriques latins n'imitèrent les Grecs, ni dans la forme des vers, ni dans le genre des sujets.*



Lipsiae, Teubneri, MDCCCLXXII) Imo Horatius non modo Atticis comicis, verum etiam Socraticorum libris sedulam operam impendit, quorum ab aliis plenissimam communis naturae cognitionem, ab aliis aculeatas dictiones accepit; quorumque lectio ita ei erat accepta, ut secum eorum libros deportaret, uti ex his verbis (*Sat.* III 2, 11-12) colligitur:

*Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro ?  
Eupolim, Archilocum, comites educere tantos ?*

VII. Patinius vero, doctus cum primis Gallorum et scriptor elegantissimus, nullum inter satiram et carmina quae hominum vitia jocos perstringunt, facit discrimen, aut exiguo fine discernit. (1) Quare hoc poëseos genus apud omnes gentes post hominum memoriam excultum, nec Graecis ab Homero ad Sillographos unquam defuisse docet. Romani autem, ex ejus sententia, quum sero in contentionem gloriae cum Graecis venissent, nihil novi huic generi quod sibi perperam arrogant, praeter continuati sermonis formam et versum hexametrum, indiderunt. Sed exigua haec laus, quam Patinius Romanis tribuit, prorsus in nihilum interit, si quis advertat, Callimachum in versibus, quibus Apollonium insectatur, et Timonem in sillis eandem formam idemque metrum usurpasse.

VIII. Quid demum de iis dicam, qui Romanos nihil novi, praeter carminum et argumentorum varietatem, in satiram invexisse putant? Hi quidem, nihil sentientes, omnem Romanorum laudem in hoc genere abrogant. Et sane haec varietas, praeterquam quod haud Graecis fuit ignota, (Chaeremonis enim *Centaurus*, Τεχνοποιίης Alexandrinorum, Theocriti idyllia eandem argumentorum et numerorum exhibent varietatem) illud etiam accedit, quod ad satirae rationem minime pertinet. Si enim Ennius et Varro se varios et multiplices praebent; caeteri fere omnes in satiris hexametro tantum versu utuntur, et unam modo praecipuam sententiam propositam

(1) Le même Horace (inquit Patinius, in opere cui titulus: *Études sur la poésie latine*, Tom. 1. p. 325) dit quelque part que les Grecs n'avaient pas touché au genre de la satire :

*Et Graecis intacti carminis auctor.*

(*Sat.*, 1, X, 66)

et, après lui Quintilien, a écrit: *Satira tota nostra est.*

(*Inst.*, orat. X, I, 193)

On peut, d'après ce qui a été dit, apprécier la valeur de cette assertion par trop nationale, et la restreindre dans de justes limites. Ce qui appartient aux Romains, c'est uniquement cette forme de discours suivi, en hexamètres le plus souvent, sous la quelle se montre la satire chez Lucilius, Horace, Perse, Juvénal, et, depuis, chez tous les satiriques. Et alibi, (Tom. II. p. 93.) de Ennio. ejusque operibus agens, sic ait: *Ce qui pouvait leur (aux Romains) appartenir en propre, ce n'était pas assurément l'esprit satirique, aussi ancien, aussi universel que toutes les dispositions de la nature humaine: chez les Grecs, il s'était bien souvent produit, plus ou moins incidemment dans des compositions de tous genres, épiques, lyriques, dramatiques..... L'innovation dont se glorifiait la littérature latine, c'était la forme plus distincte, plus spéciale, donnée aux manifestations de cet esprit par Ennius, assez confusément, par Lucilius, avec plus de suite et d'unité.*



habent, ad quam reliqua omnia, licet diversi et multiplicis generis, tamquam ad totum referuntur, ac numquam per varia argumenta vagantur, neque ad res ab instituta materia remotiores excurrunt. Lucilius, ab Ennii ratione discedens, quamvis in latissimum campum exspatiatur, singula tamen rerum argumenta, fere semper eodem versu hexametro usus, pertractat; unde etiam singuli ejus libri singulis inscriptionibus ornati atque ad artis rationem accuratius comparati fuisse videntur. (V. STALBAUM, *De vita et scriptis Q. Horatii Flacci*) Horatius, divini Platonis vestigiis insistens, qui in summa rerum varietate et copia simplex dumtaxat et unus fuit, hanc semper legem servavit, ut singulae satirae in singulis argumentis pertractandis versarentur. Persius *Σέσω*, quam enucleandam et stabiliendam initio suscepit, urgere atque ornare numquam desinit, donec tractationem absolvat. Eodem sane pacto satirae Juvenalis, nihil a proposito alienum praeseferentes, una nec varia serie ab initio ad finem usque decurrunt.

IX. His explosis sententiis, quae multorum in animis jam penitus insederunt, necesse est satirae rationem inquirere. Alte enim mihi persuasum est, neminem posse hunc perdifficilem nodum expedire, nisi prius satirae naturam et rationem penitus perspectam planeque cognitam habuerit. Videamus igitur, quaenam notio satirae nomine apud Romanos subsit, et quid discriminis inter satiram latinam et maledica apud Graecos, seu *σχωπτικὰ* carmina, quibus vitia carperent, intercedat. Tota quidem satirae ratio sic paucis conclusa est ab Horatio:

..... non satis est risu diducere rictum  
Auditoris; et est quaedam tamen hic quoque virtus;

Et sermone opus est modo tristi, saepe jocosu,  
Defendente vicem modo rhetoris atque poëtae.

( Lib. 1. Sat. X. 7-12 )

Ex his liquido apparet, ad satirae perfectionem haud satis esse *risu diducere rictum*, sed opus esse etiam *sermone tristi*, nempe sententiarum gravitate; ac proinde satiram modo *rhetoris*, seu oratoris *vicem defendere*, et ad virtutem animos impellere; modo ad lyricae poëseos altitudinem adsurgere, qua severiores animi affectus moventur atque illustrium virorum laudes celebrantur; modo didactici generis gravitatem praeseferre, qua praecepta traduntur; modo a comicis festivitatem et urbanitatem mutuari, quae ad risum ciendum valet.

Huc quoque spectant illi ejusdem poëtae versus, ubi satiram comparat cum patris sui documentis, quibus, a teneris unguiculis, se institutum fatetur:

..... *Liberius si*  
*Dixero quid, si forte jocosius, hoc mihi juris*  
*Cum venia dabis; insuevit pater optimus hoc me,*  
*Ut fugerem exemplis vitiorum quaeque notando.*

..... *Sic me*  
*Formabat puerum dictis, et, sive jubebat*  
*Ut facerem quid: habes auctorem, quo facias hoc*  
*Unum ex iudicibus selectis objiciebat.*

( Lib. 1. Sat. IV. 103-123 )



Equidem satirici eandem viam tenent, quam olim pater Horatii. Sicut liber-  
tus venusinus filium suum a vitiis deterrebat improborum flagitia notando, et, quum  
virtutes et officii praecepta traderet, laudandarum actionum exempla ex egregiis viris  
sumere consueverat; ita satirici scriptores, ad morum correctionem spectantes, vitia  
simul jocos carpunt, et virtutes commendant, atque ita exemplis docent quid vitatu,  
quid petitu sit melius, rati sapientiae documenta laetos atque uberes fructus ferre  
non posse, nisi prius vitia castigentur, ut

*Qui serere ingenuum volet agrum,  
Liberat arva prius fruticibus,  
Falce rubos filicemque resecat,  
Ut nova fruge gravis ceres eat.*

(BOETH. lib. 3. *De Cons. Phil.* metr. 1.)

X. Satira igitur quiddam est ex didactico, maledico et saepe etiam lyrico et o-  
ratorio genere conflatum et permixtum. At si quis adumbratam hujus poëseos generis  
imaginem habere velit, Horatii satiram VII. lib. II. perlegat. Ibi Poëta festive, more  
suo, convivas describit vanis legibus solutos, qui ea agitant, quae magis ad nos pertinent  
et nescire malum est, haud quidem severiori supercilio, sed salibus, facetiis atque  
anilibus fabellis. Hic quidem inter convivas sermo, graphice ab Horatio descriptus,  
imaginem exhibet romanae satirae, quae didacticae poëseos gravitatem cum comica fe-  
stivitate conjungit:

*Sermo oritur, non de villis domibusque alienis,  
Nec male nec ne Lepos saltet; sed, quod magis ad nos  
Pertinet et nescire malum est, agitamus; utrumne  
Divitiis homines, an sint virtute beati;  
Quidve ad amicitias, usus, rectumne trahat nos,  
Et quae sit natura boni, summumque quid eius.  
Cervius, haec inter, vicinus garrit aniles  
Ex re fabellas.*

(*Sat.* VI. lib. II. vers. 71-78)

Falluntur nimirum, si qui romanam satiram in una vitiorum irrisione sta-  
tuunt; majus quiddam satira erat, quam vulgo existimatur. Profecto Romanis, qui in  
omnibus utilitatem spectabant, quique stultam putabant gloriam, nisi utile esset quod  
facerent, inutilis videri debuit satira, quae vitia tantum objurgaret. Quid enim vitia  
reprehenderent, quae mores et litteras foedabant, nisi morum et litterarum simul  
praecepta traderent? Quomodo efficacius praecepta traderent, quam exempla sive  
bona sive mala in medium afferendo? Neque ad delectationem tantum satira specta-  
bat; grave et negotiosum gentis romanae ingenium effecit, ut longe nobiliorem sa-  
tirici scriptores sibi proponerent finem. Hinc fit, ut qui hujusmodi poëmata perle-  
gant, in maxima rerum varietate versentur, ex qua non voluptatem tantum, sed  
gravissimas etiam sententias, plenius philosophia tinctas, et penitiores temporum  
et hominum notitiam hauriant.

Nimirum Romani, quemadmodum philosophiae studio nonnisi ad percipiendam  
colendamque virtutem operam dederunt, ita poësim vitae magistram effecisse viden-  
tur, ut rectum, cujus clariorem ipsi, quam ceteri populi hauserant notitiam, doce-  
rent, et curvas hominum actiones riderent et carperent.



Iam porro si Homerus ab Horatio (*Ep.* II. lib. 1) jure laudatur, quod plenius et melius Chrysippo et Crantore docuerit, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non; quam apte id potest ad satiricos romanos transferri!

XI. Satiricus igitur poëta non is erat, ut pulchritudinis luce beatus humanarum rerum oblivisceretur, quasi in quietum Olympi cacumen ascenderit, quo numquam vis ventorum tempestatumque pervenit, sed potius comparandus esse videtur cum lucretiano sapiente, qui e *serenis templis* terras despicit, et homines videt

*Errare atque viam palantes quaerere vitae,*  
(LUCR. *De rerum natura*, lib. 11. vers. 10.)

et modo docet, modo ridet, aut indignatur, prout risum cient vel horrorem inferunt ea quae ipsius oculis subjiciuntur.

XII. Ad summam, in satira expressum Romanorum ingenium conspicitur, qui sagaces et emunctae naris homines ad ridendum ac docendum natura ipsa comparati fuisse videntur. Et quidem, romani juvenes vindemiarum tempore et post condita frumenta sese mutuis dieteriis incessebant, et milites et tunicata plebs jocularia carmina in duces triumphantes jactare consueverunt. Atque haec dicacitas, quae cum in vitium excidisset, lege coërcita fuit, in fabellis atellanis et exodiis quae Atellanis potissimum conserta sunt, diutius viguit. Nec minus ad genus didacticum ferebantur Romani, quibus

. . . . . *dulce diu fuit et sollemne reclusa*  
*Mane domo vigilare, clienti promere jura,*  
*Cautos nominibus rectis expendere nummos,*  
*Majores audire, minori dicere per quae*  
*Crescere res posset, minui damnosa cupido.*  
(HORAT. *Epist.* 1. lib. II, 103-107)

Et pueri jam inde ab antiquissimis temporibus hanc sententiam canere solebant: *Rex erit qui recte faciet, qui non faciet, non erit*; ad quam respexit Horatius his versibus:

*Roscia, dic sodes, melior lex, an puerorum est*  
*Naenia, quae regnum recte facientibus offert,*  
*Et maribus Curiis et decantata Camillis?*  
(HORAT. *Epist.* 1. lib. 1. 62-64)

Festus vero vetustissimum didacticae poëseos monumentum commemorat: « *Sicut habetur in antiquo carmine, quum pater filio de agricultura praeciperet* ».

*Hiberno*  
*Pulvere, verno luto grandia farra, Camille,*  
*Metes.* (FEST. V. *Flaminius, Camillus*)

Quod quidem carmen prae oculis habuit Vergilius, quum cecinit;

*Humida solstitia atque hiemes orate serenas,*  
*Agricolae; hiberno laetissima pulvere farra,*  
*Laetus ager . . . . .* (*Georgicon*, lib. 1. 101-103)

Neque praecepta ad vitam recte instituendam spectantia ab antiqua romanorum populari poësi abfuerunt, idque apertissime ostendit Gellius, (GELL. N. A. IV, 5)



qui hunc versum: *Malum consilium consultori pessimum est*, quum Haruspices Hetrusci graves perfidiae suae poenas luissent, a pueris tota urbe decantatum esse testatur. Et, antequam Romani ad Graecorum imitationem se composuissent, Appius Caecus carmen didacticum conscripsit, quod Ciceroni Pythagoreum videtur; et Marcius vates saturnio numero praecepta vitae tradidit, ex quibus est illud dictatum:

*Postremus loquaris, primus taceas. (\*)*

XIII. At obiiciet aliquis: nonne et Graeci vitia insectati sunt, et praecepta tradiderunt? Nemo quidem id in dubium revocat; imo Aristoteles in duo potissimum genera poësim dispertitus est, quorum alterum heroas et praeclara facinora, alterum deteriores homines et vitia imitatur. Ad illud hymnos et heroica poëmata, ad hoc ψόγους et iocularia versibus intexta revocat; et hujusmodi poëseos exemplum in medium profert carmen illud Homero attributum, quod Μαργίτης inscribitur; in quo ridiculus homo iocis perstringitur, qui

Πολλ' ἠπίστατο ἔργα, κακῶς ἠπίστατο πάντα

Nec Graecis defuere poëtae didactici, qui in duo genera dispesci possunt. Alii enim in incunabulis populorum, mentis viribus excitati, se rudioribus hominibus magistros et duces praebentes, vitae viam monstrarunt. Hujusmodi fuerunt Hesiodus, Theognis, Phocyllides; qui cum pueritia, ut ita dicam, nondum Graecia excesserat, per aphorismata et sententias singulas singulis versibus vel distichis comprehensas, quae γνῶμαι dicebantur, sapientiam non e libris aut magistris, sed ex ipsis rerum periculis expressam, oraculi more tradiderunt, ideoque *gnomici* appellati. Quos exceperunt Xenophanes, Parmenides, Empedocles, qui primum e mythis ad naturae leges perscrutandas adsurgere visi sunt, et vagientis, ut ita dicam, scientiae primitias et libamenta versibus exhibuerunt. Alii vero, arte tantum et industria subnixi, scientias ab aliis soluta oratione traditas, poëseos veneribus exornarunt; inter quos recensendi sunt Aratus, Nicander, Eratosthenes ad aetatem alexandrinam pertinentes, qua litterae, nativa venustate amissa, nimium artificium quaesiverunt.

Duo igitur illa poëseos genera, maledicum, nempe, et didacticum, apud Graecos floruerunt, sed nullo non tempore sejuncta; verum apud Romanos primum in unum carmen coaluerunt, et, tamquam variae fruges in satura lance, lectoribus oblata sunt. Atque hic, pene dixerim, cinnus et rerum permixtio est satura, cujus inventionis laudem Romani veluti suo jure sibi vindicant.

XIV. Sed romanae satirae ratio clarius elucet poëtarum exemplis, qui tum vitiorum insectatione, tum virtutis laude, praesertim vero nobilissimis sapientiae documentis homines ad frugem corrigere studuerunt. Ab Ennio exordiamur. Haud me fugit, nonnullos, inter quos recensendus C. F. Hermannus (Progr. acad. Marb. 1841) hunc Venusini poëtae locum *Rudis et Graecis intacti curminis auctor*, (Sat. X. lib. 4. 66.) ad Lucilium referre; sed mihi Bernardy (h. 4. L. p. 331, ed. 3.), Muelleri (*Lucilii Saturarum Reliquiae* etc. Lipsiae, in aedibus Teubneri, 1872) et Vallaurii (*Historia critica Litterarum Latinarum*, Augu-

(\*) De hac re vide W. CORSEN, *Origines poësis romanae*, Berolini, Gust. Bethge, MDCCCXLVI.



stae Taurinorum, 1852) aliorumque, qui Horatium putant ibi innuisse Ennium, magis probatur opinio, utpote rei veritati et latini sermonis rationi atque exquisitissimae horatiani stili elegantiae magis consentanea. Unum modo adversus hanc interpretationem occurrit, quod quaeri possit, quare, si ita se res habet, Poëta in eodem sermone Lucilium appellet *satiræ auctorem*. Verum haec duo sibi in speciem obstantia non operosum erit conciliare, si advertatur, Ennium *satiræ auctoris* nomine donatum, quod primus ad eam animum applicuerit; Lucilium vero *satiræ inventorem* dictum, quod eam certis finibus circumscripserit, nobilitaverit ac limatiorrem fecerit. Si Ennius *auctor satiræ* habendus est, in qua adeo inclaruit Lucilius; nemo profecto eorum sententiae subscribet, qui Ennii satiras affirmant nulla cum lucilianis affinitate conjunctas esse, atque eo tantum sensu accipiendas, quo Graeci κέρασ Ἀμαλθείας, πανδέκτην, πίνακας libros inscribebant, qui multas varii generis res complecterentur.

Nec me movent illa Diomedis verba: (Lib. III.) *Olim carmen, quod ex variis poematibus constabat, satira vocabatur, quale scripserunt Pacuvius et Ennius*. His nimirum verbis insignis ille grammaticus satiræ Ennii naturam significare voluit, quae, longe alia a luciliana, non modo carminum varietate, sed variis etiam partibus erat intexta, modo seria, modo jocosa, modo ad docendum, modo ad ridendum composita. Itaque vox illa *poemata* pro partibus et elementis, quibus satira conflatur, usurpata esse videtur; qua quidem notione accipiendam docet Lucilius his versibus:

*Non haec quid valeat, quidve huic intersiet illud,  
Cognoscis? Primum hoc quod dicimus esse poema:  
Pars est parva poema: epigramma; item epistola quaevis;  
Cujusvis operis pars est non magna poema.  
Illa poësis opus totum, ut tota Ilias una.*

(NONIUS, VOC. Poësis)

Nec facit, quod, ut nonnulli putant (1), Scipionis laudes in ennianis satiris celebrentur. Satiræ enim est, non modo vitia quae hominis dignitatem minuunt, censoria veluti virgula notare, sed praeclaros etiam viros laudibus extollere, nec solum mala, verum et bona exempla proferre. Lucilius ipse, *satiræ inventor*, laudes Scipionis celebravit; idque ab Horatio (L. 11. Sat. 1.) accepimus, ubi jurisconsultus Trebatius inducitur poëtam exhortans, ut, genere satirico relicto, si minus bella ab Augusto gesta, ejus fortitudinem et justitiam laudet et praedicet, quemadmodum Scipionis laudes Lucilius posteris prodidit et commendavit:

*Attamen et iustum poterat et scribere fortem  
Scipiadam ut sapiens Lucilius....*

(Sat. 1. lib. 2, vers. 16-17)

Horatius ipse in suis satiris haud raro laudat; atque omnium praestantissima est illa Persii satira, ubi Cornutum philosophum, a quo Stoa placita acceperat, summis laudibus prosequitur, atque animi sui admirationem et amorem in tantum virum testatur.

(1) V. *Ennianae poësis reliquias recensuit* JOANN. VAHLEN, Lipsiae, Teubneri formis, MDCCCLIV.



Ennii satirae temporis injuria interciderunt, sed ex veterum testimonio et ex fragmentis quae adhuc supersunt, Rudium poëtam aetatis suae vitia insectatum esse, et morum praecepta tradidisse satis apparet. Re enim vera, Ennium suis satiris sapientiae documenta inspersisse, ex eo intelligere fas est, quod, ne jejuna et arida praecepta taedio lectores afficerent, prior fabulis aesopicis usus est. Quod sane exemplum Horatius aliique satirici poëtae seculi sunt, qui hujusmodi involueris improborum vitia rident, atque unumquemque sui admonent officii. Fabulam aesopicam de *Cassita* narravit Ennius, ut jucunda varietate satiram, nescio quam ex suis, decoraret; atque Aulus Gellius nativa illa elegantia, in qua Vahlenus sibi videtur videre vestigia ennianae poëseos, *disjecti membra poetae*, hunc apologum exposuit, ejusque ἐπιμύθιον servavit integrum. « *Haec quidem est Aesopi fabula de amicorum et propinquorum levi et inani fiducia. Sed quid aliud sanctiores libri philosophorum monent, quam ut in nobis tantum nitamur? Alia autem, quae extra nos sunt extraque nostrum animum, neque pro nostris, neque pro nobis ducamus. Hunc Aesopi apologum Quintus Ennius in satiris scite admodum et venuste versibus quadratis composuit, quorum duo isti sunt, quos habere cordi et memoriae operae pretium esse hercle puto: »*

*Hoc erit tibi argumentum in promptu situm,  
Ne quid exspectes amicos, quod tu agere possis.*

(AUL. G. Noct. Att. 11. 29)

Ad docendum etiam aculeis illis utitur Ennius, qui inscribendis animo rebus et sententiis mirifice inserviunt, quique interdum in putidam quamdam evadunt insulsitatem. Quorum quidem exemplum praebet ipse AUL. GELL. (Noct. Att. VIII. 2.) ubi narrat, sibi et complusculis juvenibus romanis saturnalia Athenis agentibus difficiles quaestiones ab eo, qui coenulam curabat, proposito praemio, allatas fuisse. « *Conveniebamus, inquit, ad eandem coenam complusculi, qui romani in Graeciam veneramus, qui easdem auditiones eosdemque doctores colebamus. Tum qui coenulam ordine suo curabat, praemium solvendae quaestionis ponebat, librum veteris scriptoris vel graecum vel latinum, et coronam e lauro plexam, totidemque res quaerebat, quot homines isthic eramus. Quaerebantur autem res hujusmodi, aut sententia poëtae lepide obscura, non anxie, aut historiae antiquioris requisitio, aut decreti cujuspian ex philosophia perperam invulgati purgatio aut captivnis sophisticae solutio, aut inopinati raviorisque verbi indagatio aut tempus item in verbo perspicuo obscurissimum. Itaque nuper quaesita esse memini numero septem, quorum prima fuit enarratio versuum horum, qui sunt in satiris Q. Ennii uno multifariam verbo concinniter implicati; quorum exemplum hoc est:*

*Nam qui lepide postulat alterum frustrari,  
Quom frustra' st, frustra illum dicit frustra esse,  
Nam qui se frustrari quem frustras sentit,  
Qui frustratur frustra' st, si ille non est frustra.*

(Ex incertis saturarum libris, V. VAHLEN, Ennianaes poes. Rel.)

Quibus sane acuminibus populus romanus, hebes adhuc et impolitus, delectabatur; et Plautus haud parcus usus est, cujusmodi est hic locus:



*Qui cavet, ne decipiatur, vix cavet, cum etiam cavet,  
Etiam quum cavisse ratus, saepe is cautor captus est.*

(*Captiv.* 11, 11, 5.)

Huc etiam referuntur diverbia, quibus nihil est in satira frequentius. Huius nimirum generis est illud, quod memorat QUINTILIANUS (IX. 2. 36.) quum Ennium affirmat in satira mortem ac vitam contententes induxisse.

Eodem quoque recidunt narratiunculae, quibus Ennius usus fuisse videtur. Hujusmodi est illa, cujus hoc superest fragmentum: *Subulo quondam marinas propter adstabat plagas* (*inc. Sat.* VI.), quamque ab Herodoto depromsit (1. 14).

Docendi igitur finem sibi in satiris proposuit Ennius; idque adeo nonnullis persuasum fuit, ut ad satiras referrent etiam poëmata, quae procul dubio ad genus didacticum pertinent; cujusmodi sunt *Praecepta* seu *Protrepticus et Epicarmus*.

Quod vero ennianae satirae ad homines acriter perstringendos, eosque virtutis amore inflammandos pertinerent, id si aliunde minus, vel ex his carminibus colligitur, quibus hominem sic loquentem inducit:

*Enni poëta, salve, qui mortalibus  
Versus propinas flammeos medullitus.*

(NON. VV. *Propinare, medullitus. Vide etiam VAHLEN, Enn. Poës. Rel.*)

Quod quidem magis magisque confirmant haec, quae sequuntur, fragmenta, in quibus parasitum depingit alienis bonis obliguriendis unice intentum:

*Quippé sine cura laëtus lautus cum advenis  
Insertis malis, expedito bráchio  
Alacer, salsus lupino exspectans impetu,  
Mox cum alterius obligurriás bona,  
Quid censes domino esse animi ? pro divùm fidem!  
Ille tristis cibum dum servat, tu ridéns voras.*

(VAHLEN, *Sat. Rel. lib. VI.*)

XV. Gradum nunc faciamus ad Lucilium *satirae inventorem*. Is versuum durtiem, garrulitatem et cetera vitia quae ei obiecit Horatius, eruditione, lepore et multa dicacitate abunde compensavit. Unde profectum est, ut idem fere honor Suesano poëtae haberetur atque Archilocho Pario, qui Homero par existimatus, et *κατ' ἐξοχήν ὁ Πάριος ποιητής* salutatus fuit. Nec Lucilio obfuit vetustas; et, quum, immutatis civitatis moribus, aequalium poëtarum opera consenuissent, in manibus ipse erat et mentibus haerebat paene recens; imo sequiori aetate *quosdam*, ut Quintiliani verbis utar, (*Instit. Orat. lib. X.*) *ita deditos sibi habuit amatores, ut eum non ejusdem modo operis auctoribus, sed omnibus poëtis praeferre non dubitarent*. Sed triginta satirarum libri, quos Lucilius exaravit, si pauca excipias fragmenta, nunc plane desiderantur. Poenitentiam sane romanae litterae jacturam fecerunt; Lucilianae enim satirae, si integrae superessent, praeterquamquod luculentissimum praeberent exemplar, in quo romanae festivitatis antiquam et vernaculam venerem liceret agnoscere; intima aedium nobis ostenderent, et tunicatos viros exhiberent. Quantum voluptatis ex ejus lectione caperemus, qui umbratiles et arcanas consuetudines ad comicorum rationem effinxit, et fortasse verius et certe liberius quam Plautus et Te-



rentius; quique, quod comici facere lege vetabantur, principum virorum vitia eadem comoediae priscae libertate carpsit, et totam civitatem multo sale perfricuit!

*Primores populi arripuit populumque tributim. (Sat. 1. lib. 2. 69).*

Hinc fit ut nonnulli, magis quam inter rudera urbium barbaria et vetustate deleta, inter Lucilii reliquias romanam antiquitatem quaerant. Utinam eius libri integri ad nos pervenissent! Ita rectius non modo de ipsius facultate et in hoc poëseo genus meritis, sed etiam de satirae romanae ingenio possemus existimare. Quemadmodum enim qui in rerum naturalium studio versantur, plantarum rationem in earumdem seminibus penitus perspiciunt, ita nobis in Lucilii versibus satirae romanae naturam cognoscere liceret. In ipsis enim hujus poëseos generis, ut ita dicam, germen erat, quod postea Horatii, Persii et Juvenalis ope adolevit. Nihilominus ex paucis fragmentis, quae, veluti fractae e naufragio tabulae, nobis reliqua sunt; quaeque eo majore cura et religione, tamquam signa antiqua aut sacri vetustate luci, existimanda sunt, de satirae ratione et natura conjecturam facere licet. Quare immortales gratias doctissimis viris agendas existimamus, qui omni studio animique contentione lucilianas reliquias colligendas digerendasque curarunt. Profecto de litteris latinis optime meriti sunt FRANCISCUS DOUSA, E. F. CORPETUS, et LUCIANUS MUELLERUS, qui nihil antiquius habuerunt, quam ut ad haec fragmenta colligenda ac declaranda universum animi studium converterent, per summam sapientiam rati, magnam romanis antiquitatibus lucem affusum iri, ubi in apertum solemque prodiissent.

Lucilius igitur, *virtutis verae custos rigidusque satelles*, uti ex eius fragmentis satis liquido elucet, modo vitia ridet, modo praecepta ad mores et litteras pertinentia tradit, modo virtutes praedicat et commendat. En, quomodo depravatam civitatem et dissolutos mores graphice et breviter describit:

*Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto,  
Toto itidem pariterque die populusque patresque  
Jactare indu foro sese omnes, decedere nusquam,  
Uni se atque eidem studio omnes dedere et arti:  
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose;  
Blanditiae certare, bonum simulare virum se,  
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.*

(*Rel. IV. Ex libris incertis, V. MUELLER, C. Lucilii Sat. Rel.*)

Turpem luxuriosis romanis notam inussit, qui immodicos sumptus facere, rem familiarem exhaurire, ventri, gulae omnisque generis libidini indulgere consueverunt. Lupum praesertim, Albutium, Metellum, aliosque nobilissimos et Romae proceres satirica mordacitate arripuit, eisque *pellem detraxit, qua nitidi per ora cederent, introrsum turpes*.

Et in lib. IV, ubi divitum vitia castigat, praeconem Gallonium, obsoniorum gurgitem, qui acpensere, ut carissimo et suavissimo pisce, primus convivium ornavit et instruxit, his versibus insectatur:

*O Publi, o gurges, Galloni: es homo miser, inquit,  
Coenasti in vita numquam bene, quum omnia in ista  
Consumis squilla, atque acpensere quum in decumano.*

(*Rel. III*)



Sed non deridet tantum vitia, verum etiam didactici poetae munere fungitur.  
Docet heic quid sit virtus.

*Virtus, Albeine, est pretium persolvere rerum  
Quis in versamur, quis vivimu' rebu' potesse:  
Virtus est, homini scirei quaeque abeat res.  
Virtus, scirei, homini rectum, utile, quid sit honestum,  
Quae bona, quae mala item, quid inutile, turpe, inhonestum;  
Virtus, quaerendae finem re scire modumque,  
Virtus, divitiis pretium persolvere posse:  
Virtus, id dare, quod re ipsa debetur, honori,  
Hostem esse atque inimicum hominum morumque malorum;  
Contra defensorem hominum morumque bonorum,  
Hos magni facere, his bene velle, his vivere amicum:  
Commoda praeterea patriai prima putare,  
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.*

(*Ex libris incertis, 1.*)

Sed Lucilius non modo ἠθικὰ pertractavit, vulgatissimam et solemnem hujus poëseos materiam ( quam quidem ob causam poëtas satiricos aetas sequior *ethicos* appellavit ), sed etiam de arte poetica, de rhetorica, de grammatica, de orthographia adfatim disseruit; imo in praeceptis de litteris tradendis Horatio praevisse videtur.

Ipse enim, praesertim nona satira, praecepta de litteris tradit. Hujusmodi quidem satirae, quae *Fornix* inscripta dicitur, hanc fuisse *οἰζονομίαν* Van Heusdius, quamvis levi coniectura ductus, contendit ( *Studia Critica in Lucilium contulit* I. A. C. Van Heusde, Trajecti ad Rhenum, 1842. ) Lucilius ad Fornicem Fabianum in via sacra prope forum, incidit in frumentarium quemdam litibus implicitum, qui poëtam nescio quid nugarum meditantem interpellat, eumque de causae defensionculla, quam meditatus esset, consulit. Itaque poëtae affert multas de orthographia et de dicendi genere quaestiones, quo paratior ad causam dicendam promptiorque esse possit. Duo tantum fragmenta critico satis fuerunt, ut colloquium inter poëtam et frumentarium refingeret:

. . . . . atque accurrere scribas;  
*D ne an c, non est quod quaeras seive labores. (lib. IX. 25,4)*  
. . . . . Labora  
*Discere, ne te res ipsa ac ratio ipsa refellat lib. IX, XL, (29)*

Quare Quintilianus Lucilli eruditionem admiratur: ( *Inst. Orat. lib. X* ) *Eruditio in eo mira et libertas atque inde acerbitas et abundantia salis*. Et Cicero eum doctum appellat ( *De Or. 41. 6. 25* ), quamvis alibi mediocrem dixerit Lucilii doctrinam. De qua re vide *TEUFFEL, Latinarum litt. Histor.*

Quemadmodum vero in nono libro de litteris et praesertim de orthographia praecipit, ita decimum poëtis et oratoribus suae aetatis castigandis addixit. Quos autem potissimum poëtas reprehenderit, cognoscere licet, cum ex his Horatii verbis:

*Nil comis tragici mutat Lucilius Acci?  
Non ridet versus Enni gravitate minores,  
Quum de se loquitur non ut maiore reprensus?*

( *Sat. X lib. I. ver. 53-55* )



tum ex Gellii testimonio qui Caecilium etiam, Terentium (Afranum) et Pacuvium memorat.

Demum Lucilius, quum in ea tempora incidisset, quibus pietatem impietas et superstitio, fidem fraus, candorem simulatio, continentiam et abstinentiam avaritia et luxuria, pudorem impudentia iam exceperat; nihil intentatum reliquit, ut vitiiis, quibus respublica laborabat, obviam iret, et malis inde exortis pro virili parte mederetur. Quare non modo vitiosos multa libertate notavit, sed summis etiam laudibus praeclaros viros extulit, quod maxime eum decebat, qui *uni virtuti et virtutis amicis* se aequum profitebatur. Et prae ceteris Scipionem commendasse dicitur, ut in ejus vitam, tamquam in speculum inspicerent cives, et ad meliorem frugem se reciperent. Germanam igitur satirae romanae naturam in suis libris Lucilius expressit, et praesertim didacticae poeseos gravitatem comica dicacitate temperavit.

XVI. Haec satirae forma etiam Varronis menti illuxit, qui, licet a Menippo, philosopho cynico, nihil aliud sit mutuatus, nisi illud soluta et adstricta numeris oratione permixtum genus et cynicam philosophorum castigationem (1); satiras suas Menippeas appellavit. Ipse, ingenio, doctrina et moribus romanus; ipse, poëta et philosophus, adeo ut nec poëseos illecebrae a gravioris supercilii artibus eum abstraxerint, neque immensa doctrinae seges poëticum spiritum extinxerit; ipse, severiori sabinorum disciplina innutritus et virtutis amore incensus, in tempora occidentis reipublicae incidit. Quae sane omnia ad illam, de qua hic sermo est, satirae rationem plurimum contulerunt. In suis quidem satiris quae sabinam terram, unde oriundus erat, Mommsenio sapere videntur, corruptos aetatis suae mores vividis coloribus depingit, in immoderatum luxum invehitur, et Romanis, a pristina virtute deficientibus, severam veterum disciplinam in memoriam redigit, et simul de bonis et malis, de expetendis et fugiendis disserens, graves atque utiles sententias, quodam dicendi genere salso, festivo et hilari explicat. Id apparet quam maxime ex illis Tullii verbis, qui Varronem ita loquentem inducit: (Lib. 4. *Academicarum Quaestionum*). *In illis veteribus nostris, quae Menippum imitati, non interpretati, quadam hilaritate conspersimus, multa admixta ex intima philosophia, multa dialectice dicta.* Et paulo post his illum verbis compellat: *Ipse varium et elegans omni fere numero poëma fecisti, philosophiamque multis locis inchoasti, ad impellendum satis, ad docendum parum.*

Varroniana quidem satirae adeo obscurae, adeo implicatae et intellectu difficiles erant, ut etiam apud veteres acutioris ingenii interprete indigerent; idque patet ex A. Gellio *Noct. Att.* lib. XIII, cap. XXIX, ubi scite admodum nebulo quidam inepte gloriosus deridetur, qui in libraria sedens laudabat se et venditabat, tamquam unus sub omni coelo satirarum M. Varronis esset enarrator. Sed immane quantum nobis crescunt difficultates, quibus fragmenta tantum et tituli supersunt. Quare si quis inde ad rem confirmandam argumentum aliquod haurire velit, ei sane ad A. Gellium adeundum est, qui duas ex eis enarravit; alteram *περὶ ἐδεσμάτων* inscriptum, ubi poëta pleraque exposuit, quae helluones terra et mari exquirunt, et in hanc peragrantis gulae et in succos insuetos inquirentis industriam

(1) Refer huc illud Varronis fragmentum, quod ad id temporis perennavit: *Nemo aegrotus quidquam somniat tam infandum, quod non aliquis dicat philosophus.*



invectus est; alteram, cui titulus: *Nescis quid vesper serus vehat*; ubi multa ad convivium pertinentia praecipit, et illud praesertim, quod Xenophon, Cyri exemplo, docet, qui ἐπεμέλετο ὁπότῃ συσκηνοῖεν, ὅπως εὐχαριστάταί τε ἀμαλόγοι ἐμβληθήσονται καὶ παρορμῶντες εἰς τ' ἀγαθόν, Postremam hanc Varronis satiram ita Gellius enarravit « *Lepidissimus liber est M. Varronis ex satiris Menippeis, qui inscribitur: NESCIIS QUID VESPER SERUS VEHAT; in quo disserit de apto convivarum numero, deque ipsius convivii habitu cultuque. Dicit autem convivarum incipere oportere a Gratiarum numero et progredi ad Musarum, idest, proficisci a tribus et consistere in novem, ut, cum paucissimi convivae sunt, non pauciores sint quam tres: cum plurimi, non plures quam novem. Nam multos, inquit, esse non convenit, quod turba plerumque est turbulenta. Nec loquaces autem, inquit, convivas, nec mutos legere oportet: quia eloquentia in foro et apud subsellia, silentium vero non in convivio, sed cubiculo esse debet. Sermones igitur id temporis habendos censet, non super rebus anxiiis aut tortuosis; sed jucundos et inevitabiles, et cum quadam illecebra et voluptate utiles: ex quibus ingenium nostrum venustius fiat et amoenius. Quod profecto, inquit, eveniet, si de id genus rebus ad communem vitae usum pertinentibus confabulemur, de quibus in foro atque in negotiis agendis loqui non est otium. Dominum autem, inquit, convivii, esse oportet non tam lautum quam sine sordibus, et in convivio legi non omnia debent, sed ex potissima, quae simul sint βιωφελῆ et delectent ».* (AUL. GELL. Noct. Att. XIII, II). Ex his profecto habes, Varronem, in suis satiris dramatica forma conscriptis, ad docendum spectasse, imo ipsis dialecticam et moralem philosophiam sociam adscivisse. Quod quidem his versibus ipse innuere videtur:

*Vosque in theatro qui voluptatem auribus  
Huc aucupatum concurristis domo,  
Adeste, et a me quae feram, ignoscite,  
Domum ut feratis a theatro litteras.*

(V. M. VARRONIS saturarum Menippearum Rel. ed. Fr. OEHLER, Quedlenburgi et Lipsiae, 1844).

Quapropter Boisserius putavit, Varronem hunc sibi finem proposuisse, ut Romanos negotiosos homines ad philosophiae studium impelleret; ac jure meritoque nonnulli Varronem inter eos adnumerarunt, qui sapientiae praecepta poëseos floribus convestierunt, eumque cum Empedocle et Lucretio componere non dubitarunt.

XVI. Eamdem fere viam ingressus Horatius, acceptam a Lucilio satiram, partim saeculi vitio, partim poëtae incuria horridiusculam, expolivit atque ad unguem perfecit. Ipse quidem asperrima Lucilii convicia in sales et jocos γλυκυπέτρους mutavit, graeca verba rejecit, satiramque, spretis metris aliis, heroico versui propriam asseruit. Caeterum a Suessano poëta haud dissimilis satiras scripsit, quae partim sunt ἐλεγχτικαί, ad notandos atque irridendos vitiosos, partim διδακτικαί, ad praecipendum de virtute et ad ejus amorem insinuandum comparatae. Sic carmen satiricum ad eam normam exegit, quam mente intuebatur, et in Sat. X conceptissimis verbis definivit. Quare cum Policleto, insigni statuario artifice, jure meritoque comparatur, qui statuam a se factam publice proposuit, ubi ea omnia ad amussim observavit, quae in *Canone*, idest *Regula* praeceperat.



Horatius igitur in satiris nihil a Lucilio abludit, sive materiam spectes, sive ad finem respicias, quem sibi proposuit; nimirum virtutes et scribendi laudes commendat; rursus vero quidquid a disciplina morum et artis ratione alienum est, urbano risu et vituperatione prosequitur; idque omnibus ejus satiris evincere possemus, sed IV.<sup>a</sup> tantum et X.<sup>a</sup> contenti sumus, quae nobis instar omnium sunt. In *Sat. IV* Lucilium aliosque carpit, et docet, quid sit poësis, et quis poëtae nomine donandus sit, quidque discriminis intercedat inter poëtas et meros versificatores, ostendens, non esse poëtae nomine honestandum, qui versum concludat, sed qui divinos afflatus persenserit :

*Primum ego me illorum, dederim quibus esse poëtas,  
Excerptam numero, neque enim concludere versum  
Dixeris esse satis; neque, si quis scribat, uti nos,  
Sermoni propiora, putes hunc esse poëtam:  
Ingenium cui sit, cui mens divinator atque os  
Magna sonaturum, des nominis hujus honorem.*

( *Sat. IV.* lib. 1. 39-44 )

In *Sat. X.* lib. I. non modo eundem Lucilium reprehendit, sed docet etiam, quid sit satira, quidque ad ejus perfectionem requiratur; et, notatis Lucilii vitiis, Fundanium, Pollionem, Varium et Vergilium commendat :

*Arguta meretrice pōtes Davoque Chremeta  
Eludente senem comis garrere libellos  
Unus vivorum, Fundani; Pollio, regum  
Facta canit pede ter percusso; forte epos acer  
Ut nemo Varius ducit; molle atque facetum  
Vergilio annuerunt gaudentes rure Camoenae.*

( *Sat. X.* lib. 1. 40-45 )

Deinde ad illud artis praeceptum gradum facit, quod saepe saepius inculcat, nempe carmina esse corrigenda et ad unguem castiganda, si quis laudem consequi velit :

*Saepe stilum vertas, iterum quae digna legi sint,  
Scripturus, neque, te ut miretur turba, labores  
Contentus paucis lectoribus . . . . .*

( *Ibid.* 71-73 )

Quae de satiris diximus, de epistolis quoque dicta intelliguntur. Ferendi sane non sunt, qui Epistolas satirarum appellatione et numero censent excludendas. Quid? Nonne et Lucilius epistolarum forma satiras scripsit? Epistola certe fuit, unde haec protulit Nonius ( *V. Fingere* ).

*Salutem fictis versibus Lucilius  
Quibu' potest, impertit, totumque hoc studiose et sedulo.*

( *V.* etiam MUELLER, *Saturarum Rel.* lib. XXVII. 1. )

Epistolarum etiam ratio et forma inest satiris, quas maximus ille Horatii imitator, Persius, ad Plotium Macrinum, Annaeum Cornutum et Caesium Bassum misit. Hinc sane profectum, ut epistolae eodem quo satirae, nomine insignitae fuerint,



nempe *satirarum*. Ita Sveton. *Vit. Horat. Habitu corporis brevis fuit atque obesus, qualis a semetipso in SATIRIS definitur*; ubi manifeste respicitur locus *Epist. 4. 20. 2.*; ac Sidon. Apollin. *Carm. 223: Non quod per satiras epistolarum sermonumque sales, novumque epodon, libros carminis ac poëticam artem voluit sonare Flaccus*. At laudat, inquit, Augustum aliosque amicos in *Epistolis* Horatius; quod certe satirae non convenit. — Imo quam optime convenit et satirae appellationi et formae, quam hujusmodi carmini primus inventor affinxit. Persius etiam, *Sat. V.*, Cornutum praeceptorem optime de se meritum laudibus extollit. Sed quamvis satirae et epistolae procul dubio judicandae sint maxima inter se cognatione ac similitudine contineri; quadam tamen dissimilitudine a se invicem distinentur. In satiris enim Venusinus poëta vitia potissimum redarguit, quae mores et litteras foedant, et passim praecepta etiam tradit ad mores et litteras spectantia; in epistolis, contra, bonum et pulchrum praecipit, atque obiter etiam vitia jocus perstringit, nullo quidem ordine, quemadmodum in epistolis solemus, in quibus liberius cogitationes nostras cum amicis communicamus. Quamlibet ex Horatii epistolis erue, et id tibi fiet apertissimum. Sed pro ceteris Epistolam II. lib. II. ad Florum, et illam quae de *Arte* poetica inscribitur, memorare satis sit. Quarum in altera multa artis dicendi praecepta Horatius tradit, scriptoris absolutissimum exemplar exhibens, et stultos inaniisque oppletos ridet poëtas, qui sua invicem opera laudibus exornant, qui mala carmina componunt, verum

*Gaudent scribentes, et se venerantur et ultro,  
Si taceas, laudant*

( *Epist. II. lib. II. 107-108* )

in altera vero ad Pisones multa docet, quae ad artem poëticam spectant, et passim poëtarum aetatis suae vitia graphice, more suo, depingit atque irridet, qui a pulchri sensu abhorrentes, ut Vallaurii verbis utar, tumorem quemdam verborum atque inanem sententiarum strepitum adamabant.

XVIII. Neque ab Horatii satirarum ratione Persius deflexit. Virginali verecundia, lenissimis moribus, ac pulchri sensu praeditus, doctrinam ac sapientiam, quam a Cornuto, philosopho stoico, hauserat, in suis satiris exhibet. seque in tantum praeceptorem gratum ac beneficiorum memorem praebet:

*. . . . . quantaque nostrae  
Pars tua sit, Cornute, tibi, dulcis amice,  
Ostendisse juvat  
Hic ego centenas ausim deoscere voces,  
Ut, quantum mihi te sinuoso in pectore fixi,  
Voce traham dura, totumque hoc verba resignent,  
Quod latet arcana non enarrabile fibra.*

( *Sat. V. 22-29* )

Hoc sane duce, adeo virtutis pulchritudine captus est, ut nullam aliud tyrannus optaret gravius supplicium, quam ut

*Virtutem videant, intabescantque relicta,*

( *Sat. III. 38* )



atque in eo Deus habitasse credatur: *Quis Deus, incertum est, habitat Deus.* (SEN. Ep. XLI.)

Nec tantum sapientiae praecepta ac virtutis amorem ab acerrimo illo philosophiae stoicae assertore accepit, verum etiam satirae mordacitatem. Si enim sexti saeculi grammatico, Fulgentio, fides habenda est (*Vocum antiq. interpret.*), Cornutus satiras elucubravit; ad quod poëseos genus stoici procliviores erant, quam ceteri philosophi.

Quid mirum igitur, si Persius, Cornuti alumnus ac studiosissimus stoicorum assecla, in suis satiris non modo vitia asperrime insectatur, verum etiam gravissima docet sapientiae praecepta. Quot quamque sublimes de religione, de moribus ac de arte poetica doctrinas datur inde colligere?

In 1.<sup>a</sup> enim ejus satira, quae, ut recte advertit Claverius, sinceræ pietatis index est, nihilque fere ethnici redolet, edocemur, Deos non auro, sed pia voluntate atque animo sincero gaudere, non pretiosa in sacrificiis, sed mentem sacrificantis quaerere, eisque potius offerendum

*Compositum fasque animo, sanctosque recessus  
Mentis, et incoctum generoso pectus honesto.*

(Ibid. 11, 71-72)

Quare Romanos irridet, quod stultis precibus et hostiis sumptuosis crederent se inhonesta et flagitiosa a Diis impetrare posse, eosque victimis ac muneribus capi; atque in illos potissimum invehitur, qui, pecudum more in terrena proni, caelestia negligunt, quique ex ingeniis suis corruptis moribusque depravatis existimant, se externis tantum sacrificiis gratos fore et acceptos Diis:

*O curvae in terras animae et caelestium inanes!  
Quid juvat hos templis nostros immittere mores,  
Et bona Dis ex hac scelerata ducere pulpa.*

(Ibid. 11, 44-46)

Idem prorsus dicendum de ethicae philosophiae praeceptis. Stoicorum de moribus placita, quae, ex Hieronymi sententia, saepe Christi doctrinis mirum in modum consonare videntur (*Stoici in plerisque nostro dogmati concordant*, ISAII. Cap. X.), quaeque Divus Augustinus (*De Civit. Dei*, 11. 6.) admiratur, atque uti morum regulam refert, in Persii satiris continentur. Quae sane eo potissimum spectant, ut homo *pelliculam veterem*, nempe veteres mores exuat, pravis affectibus bellum indicat, atque in libertatem se vindicet (*Libertate opus est*. V. 73). In *Sat. V.*, quae sit vera libertas ex Stoicorum sententia, docet; praeterea ostendit, stultos esse omnium servorum miserrimos, sapientes vero esse liberos:

*Tibi recto vivere talo*

*Ars dedit? et veri speciem dignoscere calles,  
Ne qua subaerato mendosum tinniat auro;  
Quaeque sequenda forent et quae vitanda vicissim;  
Illa prius creta, mox haec carbone notasti.  
Es modicus voti, presso lare, dulcis amicis,  
Jam nunc adstringas, jam nunc granaria laxes,  
Inque luto fixum possis transcendere nummum,*



*Ne luto sorbere salivam mercurialem.  
Haec mea sunt, teneo, cum vere dixeris, esto  
Liberque ac sapiens.*

(*Sat. V. 90-100*)

Quae quidem morum praecepta aliis tradere, atque animos ad omnem virilem disciplinam instituere omni studio conatur:

*. . . Petite hinc, juvenesque senesque  
Finem animo certum miserisque viatica canis.  
Disciteque, o miseri, et causas cognoscite rerum:  
Quid sumus, et quidnam victuri gignimur; ordo  
Quis datus . . . . .  
Patriae carisque propinquis  
Quantum elargiri debeas quem te Deus esse  
Jussit, et humana qua parte locatus es in re.*

(*Ibid. 53-60*)

Denique de litterarum corruptione dolens, eos acriter obiurgat, qui pulchri sensum omnibus modis pervertebant, neque ipsi Neroni, *studiorum sacra*, uti ait Marternus, *profanati* ( 1, 19-21 ) pepercit. Quapropter quae fuerint ea aetate litterarum vitia, cuique satiras Persii perlegenti facile est intelligere. Modo enim illos obiurgat, qui aut lucri causa aut famae dulcedine capti, e vestigio, quasi divino afflatu, poëtae evadebant, et patronis suis divitibus molli aliquo poëmate adblandiebantur; modo illos vituperat, in quorum scriptionibus, nativa sermonis specie adscitis ornamentis extincta, studium et acumen videas, et naturam sinceram desideres, quique verbis obsoletis ac, vel in prorsa oratione, poetarum pigmentis abutebantur, eo nimirum, ut apud vulgus laudem sibi captaverint; modo eum acrius perstringit, qui in publicis recitationibus, licet aetate decrepita, carmina lasciva recitat pexus,

*. . . . . togaque recenti  
Et natalitia tandem cum sardonyche albus  
Sede legit celsa, liquido cum plasmate guttur  
Mobile colluerit, patranti fractus ocello.*

(*Sat. 1, 14-17*)

Nec minus acriter invehitur in vanum illum tumorem ac turgiditatem, quae tunc temporis invaluit, quamque Persius recte appellat *grande aliquod*. Tunc enim poëtae imaginem referebant illius hominis ditissimi, qui, ut in omnibus rebus singularem magnificentiam praesferret, cuncta sibi *grandia* comparabat et adhibebat, *grandia vasa, grandes servos* ( Sen. *Suasor.* ) Carmina quidem scribebant, in quibus *grandis* erat sonus verborum, sensus autem nullus ac nulla mens. Nec causas inquirere omittit, ob quas latinae litterae deciderint; quarum duas praecipue mihi videtur ipse adnumerare, nempe morum corruptionem, ac publicas recitationes, ubi, cum jam animos invasisset scribendi cacoethes, litterae ad inanem dumtaxat gloriolam captandam exercebantur, et perfectionis fastigium attingere videbatur, qui in scriptis suis fucandis comendisque totus esset, omnesque id genus ineptias consecraretur. Unde non modo praecipuas quae de scribendi arte traditae sunt, praeciputiones edocemur; verum etiam intelligimus, quibus de causis, occalescente pul-



chri sensu, sermo et caetera omnia quae ab ingenio pendent, a primaeva simplicitate deflexerint.

Quae cum ita se habeant, magis credendum censeo Quintiliano et Casaubono, qui Persium existimant parvo quidem et elaborato monumento, ubi satirae romanae lineamenta expressa conspiciuntur, magnam sibi gloriam peperisse; quam Julio Caesari Scaligero in *Hypercritico*, et Nisardio (*Études de moeurs, et de critique sur les poètes latins de la décadence par Nisard de l'académie Française, Troisième édition*, Paris, Librairie de L. (Hachette, e C.<sup>ie</sup>); qui de Persii satiris durum profecto et nimis severum iudicium tulere.

XIX. Eandem plane satirae rationem fas est perspicere in Juvenale. Is enim in suis satiris se tamquam veteris disciplinae magistrum atque acerbum vitiorum castigatorem praebet. Acerrimus improborum hostis atque uni virtutis aequus non modo in aequalium mores plurimum salis et fellis habet, sed non paucas etiam sententias exhibet βικωφελείς, nempe ad vitam regendam et mores formandos apprime utiles. Sic in *Sat. X.* (ut exemplis utar) in primis hominum inscitiam et vecordiam reprehendit, qui omnibus precibus a Deo illa petere consueverunt, quae ipsorum pestem et perniciem aliquando sint allatura: videlicet divitias, magistratus, potentiam, eloquentiam, famam, gloriam, prolixum vitae cursum ad ultimam usque senectutem, pulchritudinem et corporis speciem; quod mulierum potius quam virorum votum est. Quibus sane optandis ac possidendis se imprudentes ac veri boni ignaros omnino testantur. Haec omnia nobilissimis ex romana et graeca historia depromptis exemplis evincit. Deinde docet, non illa a Diis postulanda, quorum desiderio vulgus insanit, verum ea quae sapientissimorum hominum iudicio vera et solida sunt bona; nimirum corporis valetudinem, praeterea rerum humanarum contemptum, prudentiam, fortitudinem etc. Sunt porro duae hujus satirae partes. Altera ἐλεγκτική vocari potest; notat enim et perstringit vitia; altera vero διδακτική merito appellatur; in ea enim docet, quid a Deo petendum sit, nonnullas adjungens orandi regulas, praeclaras omnino et quantivis pretii, quae non tantum philosophum, sed christianum etiam decerent:

*Fortem posce animum, mortisque timore carentem,  
Qui spatium vitae extremum inter munera ponat  
Naturae, qui ferre queat quoscumque labores,  
Nesciat irasci, cupiat nihil etc.*

Aurei sane versus et ad verbum ediscendi, quibus adversus calamitates et rerum pericula animum confirmare possimus. Si caetera Juvenalis carmina periissent, haec tantum ejus nomen immortalitati commendarent!

( *Sat. X.* 356-359. )

Quot vero sapientiae documentis scatet *Sat. XIV!* Ibi enim docet, plurimum interesse, quibus artibus, quibusque moribus liberi vel a prima aetatula imbuantur. Quam enim viam a teneris erunt ingressuri, hanc perpetuo tenebunt. Atque hujusmodi sententiam animantium exemplo, quae adulta eundem cibum appetunt, cui a teneris, matre monstrante, adsueverunt. Quare docet, parentibus ab omni verborum turpitudine abstinendum, praesente filio puero, haud aliter ac si coram virginibus vestalibus locuturi sint:



*Nil dictu foedum visuque... limina tangat,  
Intra quae puer est. . . .*

Docet etiam servos humaniter habendos, quippe quorum animae et corpora eadem nostra materia constant paribusque elementis, et in Romanorum consuetudinem invehitur, qui in servos superbissime et crudelissime grassarentur :

*Mitem animum, et mores modicis erroribus aequos  
Praecipit, atque animos servorum et corpora, nostra  
Materia constare putat, paribusque elementis?  
An saevire docet Rutilus, qui gaudet acerbo  
Plagarum strepitu, et nullam Sirena flagellis  
Comparat Antiphates trepidi laris ac Poliphemus,  
Tum felix, quoties aliquis tortore vocato  
Uritur ardenti duo propter lintea ferro.*

(*Sat. XIV. 15-22*)

Ostendit denique, quanta insania laboret avarus, qui, licet divitiis abundans, miserrimam agit vitam, nec sibi consulit, ut locuples moriatur:

*Quum furor haud dubius, quum sit manifesta phrenesis,  
Ut locuples moriaris, egentis vivere fato.*

(*Ibid. 136-137*)

Haec carptim de Juvenale, quibus nihil addam, ne parabilem eruditionem aut ambitiosius conquistam ostentasse videar.

XX. Apud Petronium etiam satira duabus partibus continetur, quarum una in carpendis hominum vitiis, altera in praeceptis tradendis posita est. Is quidem in *Satyricon* libro, soluta et adstricta numeris oratione conscripto, ubi saepe inverecundis salibus ac nimia rerum obscoenitate castiores aures praeter modum offendit, hoc sane nomine damnandus; vel ipsa satirae natura ad praecepta de moribus et litteris tradenda adductus est. Plurima inde in rem meam haurire possem, sed, ne multus in hac re sim, pauca proferam. In primis nemo, ut Boucheroni verbis utar, recitationum fastum, quae immane quantum ad corrumpendas litteras contulerunt, verius expressit, quam Petronius in ipso operis initio. Ibi cum multa festive ac lepide describit, tum vero in rhetores invehitur, ac fieri posse negat, ut, his ducibus, antiqua ingenia reviviscant. « *Grandis, inquit, et, ut ita dicam, pudica oratio non est maculosa nec turgida, sed naturali pulchritudine exurgit. Nuper ventosa isthaec et enormis loquacitas Athenas ex Asia commigravit.... quis postea ad summam Thucididis, quis Hyperidis ad famam processit? Ac ne carmen quidem sani coloris enituit, sed omnia quasi eodem cibo pasta non potuerunt usque ad senectutem canescere* ». Alibi definit, quid sit germana poësis, et quid discriminis inter poëtas ac meros versificatores intercedat, et fere eadem docet, quae Horautis *Sat. IV. lib. I.* « *Multos, inquit, carmen decepit; nam, ut quisque versum pedibus instruxit sensumque teneriorem verborum ambitu interuit, putavit se continuo in Heliconem venisse.* » Deinde, quo ingenio, quibus doctrinarum praesidiis instructus esse debeat quicumque poëticam laudem consequi velit, apertissime docet, ac studiosis exemplum proponit Homerum, Vergilium et Horatii curiosam facilitatem. Hinc Lucanum redarguit, qui in *Pharsalia* condenda potius historicum, quam



poëtam, egisse videtur, et praecepta ad poëma de bello civili scribendum pertinentia exemplo suo confirmare non dubitavit. Attexit enim pulcherrima carmina, quae nonnulli Lucani poëmati praetulerunt. Denique doctrinae studia cum moribus ac vitae severitate esse conjungenda docet:

*Artis severae si quis amat effectus,  
Mentemque magnis applicat, prius more  
Frugalitatis lege polleat exactae:*

*Nec curet albo regiam trucem vultu,  
Cliensve coenas impotentium captet etc.*

(PETR. ARBITRI *Sat. Excerpta ex libris XV. et XVI., ex recensione*  
FRANC. BUECHELERI)

Nec praetereundum censeo insignem illum Petronii locum, ubi somniorum causas explicandas assumens, eadem nobis in somnis obversari docet, de quibus vigilantes aut cogitavimus aut egimus:

*Somnia quae mentes ludunt, volitantibus umbris,  
Non delubra deum nec ab aethere numina mittunt,  
Sed sibi quisque facit. Nam, cum prostrata sopore  
Urget membra quies, et mens sine pondere ludit,  
Quidquid luce fuit, tenebris agit: oppida bello  
Qui quatit etc.*

(*Frag. XXX, pag. 218, BUECHELERI*)

Nec minus altero satirici scriptoris munere, nempe vitia objurgandi, fungitur. Modo enim generosa bile exardescens in mores corruptos et venalem justitiam invehitur:

*Quid faciunt leges, ubi sola pecunia regnat,  
Aut ubi paupertas vincere nulla potest?*

(*Ibid. p. 15, v. 6-7*)

Modo falsos amicos insectatur:

*Nomen amicitiae, si quatenus expedit, haeret,  
Calculus in tabula nobile ducit opus,  
Cum fortuna manet, vultum servatis, amici,  
Cum cedit, turpi vertitis ora fuga etc.*

(*Ibid. p. 86, v. 3-6*)

Modo avarum redarguit, eumque Tantalo, in medio amne sitienti, comparat:

*Nec bibit inter aquas, nec poma patentia carpit  
Tantalus infelix, quem sua vota premunt.  
Divitis hic magni facies erit, omnia late  
Qui tenet, et sicco concoquit ore famem etc.*

(*Ibid. p. 97, v. 13-16*)

Quid vero de Trimalcionis coena dicam? Utinam tot foeditatibus non esset re-ferta ac deturpata! Cum enim in ipsa depravatam civitatem ac perditissimos mores vividis coloribus Petronius expressisset, non mediocri sane fructu ac voluptate ab eis legeretur, qui privatam Romanorum vitam penitus compertam habere velint.



Haec forsā ob oculos habens Burmannus Petronium *sanctissimum virum* appellare non dubitavit, qui, « quum ad severioris artis altitudinem respexisset, ac summum eloquentiae fastigium attigisset, ferre non potuit suae aetatis declamatores molestos ac poëtastrōs ridiculos; et continentiae priscorum Quiritum studiosissimus lautos epularum apparatus, nepotinos sumptus, et coquorum ingenia, stili sui acumine notare et confodere ausus est ».

XXI. Haec quidem latinorum poëtarum exempla cursim animadvertenda putavi; quo magis illud in aperto sit, nimirum quum duae admodum partes satirici sint, et docendi et cavillandi, principem illam et graviorem tanti esse, ut, si desit, ne satira quidem possit intelligi. Hinc in proclivi est intelligere, quantopere a veritate aberrant, qui, ad Romanorum laudem imminuendam, Graecorum poëmata memorant, quae aliquam cum satira similitudinem prae se ferunt, ac praesertim ii, qui satirae romanae originem a satyrico Graecorum dramate repetendam putant. Eorum sane error in eo praecipue versatur, quod falsa nominis similitudine decepti eandem esse existimant satirae rationem cum satyrico dramate. At immane quantum inter se differunt, quippe cum hoc in eo totum fuerit, ut animos suavissima jucunditate exhilararet, et *σκόμματα*, nempe salsis diceriis populi risum excitaret; illa vero ad docendum simul et irridendum fuerit comparata. Nec nomen ipsum, si quis rem sedulo perpendat, satira romana cum satyris graecis commune habet: *satyricum* enim drama dictum est a *satyris* Dionisii comitibus in dicacitatem maxime pronis, ex quibus chorus constabat; at satirae romanae nomen factum est a satura lance, uti mox videbimus, adeo ut antiqua illius forma fuerit *satura*; unde, littera *u* in *i* commutata, factum est nomen *satira*, quemadmodum ex *optumus*, *maximus*, *exsul*, *famul*, *simul*, postea exstiterunt *optimus*, *maximus*, *exilium*, *similis*, et quae alia id genus commemorari possunt.

Ob risum, jocos ac lasciviam satyricum drama comoediae propius quam satirae vulgo habitum; quamobrem latini cum Graecorum satyris non alias componunt fabulas quam atellanas, ac doctissimus vir Athenaeus fabulas a Sylla compositas, quae vel *atellanae* fuerunt, vel *tabernariae*, aut certe *mimi* quidam, appellat *σατυρικῶς κωμωδίας*. Unde etiam fit, ut *σατυρίζειν* et *κωμωδεῖν*, veluti cognatae notionis voces, apud optimaе notae scriptores unum plane atque idem valeant. Neque aliud hac de re iudicium tulisse videtur Horatius in *Epistola ad Pisones*, ubi diutius in satyris graecis immoratur, ut romani poëtae intelligerent quae observari oporteret in condendis atellanis, quae magnam habebant cum satyris graecis cognationem.

Illud vero heic animadvertendum se exhibet, satyrica dramata, quae ad spectatorum moestitiam temperandam tragoediis adjungi consueverunt, temporis injuria intercidisse. Unum tantummodo e naufragio enatavit, nempe *Cyclops* Euripidis. Jam qui animo tantisper velit reputare, quid sit satira, ac *Cyclopem* attente perlegere, is profecto intelliget, hujus dramatis rationem a satirae romanae natura mirum quantum differre; cum satira hominum vitia et perversitates referat; satyricum autem drama non corruptos homines, sed adhuc agrestes et humanitatis expertes rideat, et centauros, satyros aliasque id genus personas inducat. Cave autem putes, me inficias ire, gravissimas sententias ac philosophia plenius tinctas in *Cyclope* passim inveniri. Poëta enim Ulyxem inducit non modo prudentem et probum, sed inter-



dum etiam de virtute ac pietate φιλοσοφικώτερον praecipientem, Hujusmodi est insignis illa ad Polyphemum sententia, quam ita claudit :

τὸ δ' εἴσεβές  
τῆς δυσσεβείας ἀνθελοῦ πολλοῖσι γὰρ  
κέρδη πονηρὰ ζῆμῖαν ἡμείψατο

Sed qui Euripidis rationem scribendi compertam habet, facile sibi persuadet, hanc sententiarum crebritatem non ad satyros pertinere, sed proprium illius tragici charactera fuisse, qui in suis fabulis saepius philosophum aut oratorem agit quam poëtam, et personas inducit potius loquentes, et quidem non sine eloquentiae vi, quam agentes, ut dramaticam poësim decet. Quare *tragoediam inclinasse* Euripides dictus est; et Quintilianus asserere non dubitavit, et *in sermone magis accedere oratorio generi et sententiis densum et in iis, quae a sapientibus tradita sunt, pene ipsis parem, et dicendo et respondendo cuilibet eorum qui fuerunt in foro disertis, comparandum* ( Quint. Lib. X. ).

XXII. Eorum vero opinio, qui satiram romanam a Magodia nihil alienam putant, non certe tanti est, ut in ea immorari necesse habeamus. Quinam erant Magodi? Ille latinarum elegantiarum arbitrer Boucheronus ex nobili Athenaei loco arguit, Magodos, vicos obeuntes et in beatorum conviviis adhibitos, ludiones et pantomimos, non justae fabulae actores fuisse; idque nominis ex eo arcessitum autumant, quod pharmacorum vim declararent, et magica quaedam proferrent. (*M. Att. Plaut. Praef. Augustae Taurinorum, an. MDCCCXXII.*)

XXIII. Neque illis assentior, qui censent, satiram romanam nihil differre a Graecorum sillis, quibuscum plurima quidem habuit communia. Inter hos autem potissimum recensendi sunt, Joannes Vulpus (*De Sat. Lat. Patavii, MDCCCXLIV.*) qui satiram romanam sillis Graecorum affinem esse contendit; ac Casaubonus, (*De Satyrica Graecorum poësi et Romanorum satira libri duo, Parisiis, MDCV.*) cui Timonis silli aliquam Lucilianae satirae auram afflare videntur. Qui enim sillorum naturam et rationem diligentius exploret, nullo negotio intelliget, falsam illos sibi induisse persuasionem.

